



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

CCCLXVII. Luxuriosi pater fortis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

tus fuit: ut proditoris filium licuerit occidere, legatum non licuit. Quid enim lex ait? **LEGATUS SACROSANCTUS SIT.** An hoc dubium est fuisse legatum? creatus est, missus est. atqui si fuit legatus, non potuit, antequam renuntiat legationem, desinere, tanquam magistratus intra suum annum, tanquam sacerdos. Patris, inquit, damnatione desit esse legatus. Ad alium forsitan filium pertineat paterna damnatio: ad legatum non pertinet. Ante enim legatus hic factus est. Ita in eo jure fuit, in quo illum respublica ante jusserat: id est, ante legatus fuit, quam damnati filius. Sed puta licuisse: non oportuit.

S E R M O .

Hic de injuria publica querendum, quod ignoretur, quid renuntiaturus fuerit. ultima descriptio erit, qua nihil tale merens occisus sit, etiam inter hostes tutus.

CCCLXVII.

Luxuriosi pater fortis.

Luxuriosi pater fortiter fecit: præmium non optavit ex lege. Dementia reus fit à filio.

D E C L A M A T I O .

DEmentia reo quid objicis? usitata fortasse crimina. Tractas per publicum vestes, non reddita salutantibus nomina, non discretos ab inimicis amicos, aut dissipata luxuria bona, & aliena ætati vitia. Habet hoc crimen domus nostra, si reum mutas. An vero desidiam objicis? Bellum non sentio? hostem non intelligo? patriam non vindico? Præmium, inquit, non optas. Puta me rationem non posse reddere. Non est unius criminis dementia. Ut hoc sit argumentum dementia, infirmum est, quia solum est: deinde nunquam in uno dementia deprehenditur, objice & alia. Sed quid sine hoc quidem objici potest? Quid? tu liberalitatem, dementia vocas? Non expedit tibi, adole-

adolescens, hanc legem introducere. Non optas. Age quisquis non est avarus, demens est? Varii sunt mores. Puta me nolle optare, non concupiscere præmium: non invenio, quid optare possim: deinde patriam onerare nolo bello afflictam. Deinde gratiæ debent esse virtutes: deinde hoc est præmium, intueri debitorem populum. Licet differre: permittes & tua causa, uxorem tibi opto, honores opto. Statim, inquit, opta. Ergo si facio, sanus sum. En crimen, quod statim tolli potest? Quid vis optem? opto statuas? vultum contrahit: dies festos? irascitur. Quid igitur? pecuniam? & si hanc desideras, cur non fortiter pugnabas? descende in aciem: an ego pro te pugnavi? Si perseveras in foro potius militare, quam in prælio, absolutionem opto: tolle iudicium.

CCCLXVIII.

Alens patrem rapta abdicata.

Rapta invito patre nuptias optavit. ob hoc abdicata, tacuit: egentem patrem quia invito marito alebat, est repudiata; ingrati agit adversus maritum.

DECLAMATIO.

Beneficium dedit, vitam donavit. Magnum beneficium est, lucem dare: ideo sunt parentes carissimi: & illi vitam dant non sentientibus. Quid, quod beneficium dedit, cum accepisset injuriam? Jam non tantum vitam tuam donavit tibi, sed etiam ultionem suam: nec tantum non exegit supplicium, sed etiam concessit matrimonium. Quid his vis adjiciam? exorata est. Solent dolere raptæ: & contineri non possunt, nec à patribus. Dedit ergo beneficium. Quid si etiam contra patris voluntatem te servavit? Illum offendit, ut tibi parceret: & quam graviter? etiam abdicata est. Cum tibi beneficium dat, ipsa accipit injuriam. Donavit tibi etiam testamentum patris. Accepisti ergo beneficium,

I. Donavit tibi etiam testamentum patris. Sed hi non intel-
ligerunt vim ræ donare, de qua diximus
alibi.